

cordis tui, & intuitu oculorum tuorū. Et scito quod pro omnibus his adducet te dominus ad iudicium. Hinc Boetii in fine. 5. de consol. ait: Magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.

Hortatio ad oues, vt sequantur pastorem.

Sequamur etiam vocantem pastore & ante nos ambulat. Non enim nos tantum verbo prædicationis, sed magis exemplo conuersationis præcessit. Hinc ait de seipso. Cum proprias oues miserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur. Io. 10. Et hoc quidem facimus, ipsum verè cognoscimus, dicente Ioanne: Qui se dicit nosse eum, & mandata eius non custodit mendax est. Et iterum: Qui dicit se in illo manere per fidei cognitionem, debet sicut ille ambulauit, ille ambulare. Et reuera monstruosa res est si per vnā portam caput ingreditur, membrum per aliam ingredi conetur vt vult Bern. Separari quidem potest membrum à capite per aliam autem viam minimè poterit introire. Hinc ipse ait: Ego sum ostium si quis per me introierit, saluabitur, qui verò aliunde, sur est, & latro. Per illum ingreditur, qui quis eum ingredientem imitatur.

Adhæreamus quoque pascenti dignis gratiarum actionibus. Quis enim famelicus, & sitiens ingratus est resicienti, & si panem solum tribuat, & aque potum? immo gratus est nobis do minus atq; præmium pollicetur pro ca lice aque frigida sibi in specie pauperis exhibito. Matth. 10. Sed ecce pastor noster præter cuncta corpori necessaria quæ abundè tribuit, curam nostri agēs longè delicatioribus ferculis animam nostram pascit. In præsentem quidem pane verbi, pane sacramentali, pane deuotionis, & in futuro pane beatificationis, & fruitionis. Nam in eo ingredientibus, & egredientes pascula inueniunt. Ingredientes per fidem. Egredientes à fide ad speciem, à credulitate ad contemplationem, vt dicit Grego. in hom. Merito tali adhæremus dicentes cum propheta: Mihi autem adhærere Deo

bonum est. Merito gratissimi semper sumus dicentes cum eodem: Benedicta anima mea domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Alioquin audituri sumus ab eo: Filios enutriui, ipsi autem præferunt me. Esa. 11.

Innitamur demum magna fiducia potentissimo nostro pastori, de cuius manibus oues recipere nemo potest, vt habetur Ioan. 10. sed vit æternam ad eis, & non peribunt in æternum. Cui consonat illud Rom. 7. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et merito ei confidenter innitimur, quia habemus in eo, quæcumq; requirimus, sicut ait Ambrosius in quodam sermone. Omnia habemus in Christo, & omnia in nobis Christus. Si vulnere curari desyderas, medicus est. Si febris æstus, tons est. Si grauiter iniquitate, iustus est. Si indiges auxilio, virtus est. Si mortem times, vita est. Si tenebras fugis, lux est. Si cælum desyderas, via est. Si cibum quæris, alimentum est. Huic igitur innixi fiducialiter curramus in via domini, nihil terreat, quia habemus pastorem prudentissimum, potentissimum & optimum Christum dominum, cui resistere nemo potest. Hic si nos non deserit, quis rogo nocebit? Vis scire, quæ admodum à nobis separatur, audi Ambrosio. super Lucam lib. 5. dicentem: Nemo tibi Christum potest auferre, nisi te illi auferas. Non ergo auferamus nos Christo maneamus amore in illo, & nunquam nobis sua deerit misericordia. Hinc & Dominica præens de misericordie effectibus nomen accepit, maximè enim eius misericordia apparuit in eius passione, cuius nunc resurrectionis tempore ecclesia tenet memoriam in canticis, & moribus ostenden-

do nobis domini cor apertum pedes, & manus in crucis imagine (quæ fertur) transfossas
&c.

Defendè
dæ oues
& huic
rei inni-
tendum.